

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Menippus sive dialogorum satyricorum centuria inanitatum nostrativum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

15. Literati

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

## 15. L I T E R A T I .

**A.** Nonne mirum est, literatos prope unos à multis seculis rebus Christianis obstuisse quam maxime & virulentissime? **B.** Vix mihi verisimile est. **A.** faxo mecum fateare: non adducam tibi vero Ægyptios, & Babylonios Magos, non Scribas & Phariseos, non denique paganos Philosophos, etsi magna parte hodiernis mitiores: nam ad Christum unice reformatam literaturam dices, etiam eam, quæ spurcissima & iniquissima nobis relicta est. Vnum quæram, an aliquem è vulgarib. literatis offenderis? **B.** Non, quod sciam. **A.** Frustra itaque tecum disputo, sed an dissentisti in aliqua re ab horum uno? **B.** Non memini. **A.** Nullus sum: vidisses ambitionem incredibilem, odium inexpiabile, violentiam planè barbaram. **B.** Atqui humanitatis doctores sunt. **A.** Verè humanitatis, quia Divini nihil habent. **B.** Disputationibus verò nonné tota vita occupantur, quæ nisi dissentientium collationes atque conciliationes quid sunt? **A.** Disputant, ac libenter, si iudicium & arbitrium illorum sit, & videantur exercere ingenia in suam gloriam, sin seriò aliquid in illis displiceat, periisti. **B.** At veritas convincat. **A.** Tantæ sunt lubricitatis, ut in re certa ad dubitationem adducaris, id quæ artis, quæ utrumque probabiliter defendit, beneficio, vel sanè nemini persuadeas calumniis eorum invisus & infamis redditus. **B.** Vnde illis vires. **A.** Dextra manus seculare brachium est,

cuius immanissimis flagitiis turpiter adulantur, sinistra popelli cæcitas, cui infinitis artibus densiores tenebras quotidie offundunt. *B.* Quî utrûque demereri, utriq; imponere possunt? *A.* Facile: cum nihil tam malè dici, fieriq; possit, quin excusent, ac ornent etiã, si faveant, nihilq; tam prudenter innocenterq; perpetrari, quin calumnientur & exaggerent, si hominem oderunt. *B.* Nondum persuades. *A.* Quam velim illos ita repente mites fieri, ut ego mentitus videat! *B.* Precabor itaque faventes eos & propitios habeam. *A.* Vide ut possis, At ego Deum precor, Mosen aliquem, aut Danielem, aut Iosephum his præstigiatoribus maturè opponat, qui planum faciat, quantum homo superet simiam, quantoque vera in Rempublicam merita sint potiora falsis.

## 16. ACONTIVS.

*A.* Quid ego dicam causæ esse, quod cum in rebus cæteris homines sint diffidentissimi, religionem suam Doctoribus securissime concedant? *B.* Quia religionis nostræ Antistitum tam constans est asseveratio, & adversæ partis valida refutatio, ut viris tam gravibus & compositi vultus, tum de salute sua nullo dubio æque sollicitis, tum in examinandis adversæ partis fundamentis æquissimis, non credere piaculum quisque ducat. *A.* Interim quod multis, ac omnibus propè examinandum erat, id uni, vel paucis sanè committitur. *B.* Merito: nam non omnes tam sunt firmato iudicio, ut tuto in adversariorum libris versentur. *A.* Velles tamen

tuz